

et pietas et solidæ etiam virtutis exempla eluceant.
Verùm quod nobis est gravissimum, in summâ opera-
riorum penuriâ sumus. Quapropter ad Paternitatem
vestram Clamant tum liberi sui, tum quos in Christo
genuerunt ipsi, Summisque precibus efflagitant, ut
sui misereatur, et mittat qui nos adjuvent: Neque
vero est quod timeat Paternitas vestra, ne desit nobis
quo sustentari hic possunt tot homines societatis,
neque enim ulla est in eo difficultas; cùm longè alia
sit hic vivendi ratio quàm in Galliâ ac Italia. At
finem hic facio. Interim tamen imploro Paternitatis
vestræ SS. Sacrificiorum ac precum auxilium, tum
barbaris nostris omni sane commiseratione dignis,
tum ei qui est

Reverendè admodùm in Xto Pater,
Minimus ac obsequentissimus
in Xto filius vester
CAROLUS GARNIER.

Data ad Divæ Mariæ
apud Hurones 3^e maii 1647